



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 97. Discessus Vicecomitis Lotharingium Cardinalem conventuri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

tesieret animus parum Synodo propi- Sæcul. XVI.  
A. C. 1563.  
tius, cum aliunde timendum esset, ne  
Concilium ex sua, suorumque profectio-  
ne illic in sterili, atque ignobili otio lan-  
guesceret: contra vero si Tridenti per-  
sisteret, ita ibi negotia disponi possent,  
ut ad recentium Legatorum adventum  
liceret postremam illis manum admo-  
vere, Synodumque absolvere.

Verum nulla ratione a concepta sen-  
tentia dimoveri poterat Lotharingius,  
qui die vigesima tertia Martii Tridento  
discessit, comitantibus eum præter po-  
tissimos Franciæ Theologos Emborodu-  
nensi Archiepiscopo, atque Episcopis  
Aurelianensi, Ebroicensi, Suessionensi,  
Melodunensi, & Catalaunensi. His sti-  
patus Patavium venit, ubi Ferrariæ Du-  
cem sibi sanguine junctum invisit, in-  
de vero Venetias contendit, ibidem Pa-  
schatis festa celebraturus.

§. XCVII.

*Discessus Vicecomitis Lotharingium  
Cardinalem conventuri.*

Eadem die, qua Lotharingius discesse- Pallav. l. c.  
Litt. Visc.  
tom. 1. litt. 18  
p. 19?  
rat, ad Gualterium, & Vicecomi-  
tem pervenerunt Cardinalis Borromæi  
literæ, quibus ambo rogabantur, ut Lo-  
tharingium eo inducerent, quatenus Pa-  
pam rogaret, ut Bononiam contende-  
ret, ibidemque Cæsare coronato Syno-  
dum,



Sæc. XVI.  
A.C. 1563

dum, si hujus translationis spes affulgeret, eo transferre vellet. Cum autem Lotharingius Cardinalis jamjam abiisset, ac aliunde Pontificis discessum, nec non Synodi translationem (\*) parum sibi probari, sat aperte monstrasset, hinc Gualterium Patavium ad eum proficisci haud consultum fore arbitrabatur. Verum Vicecomes non ejusdem erat sententiæ, aliunde vero opportunam Patavium eundi occasionem se nactum esse lætabatur, eo quod ejus Nepos, qui ibidem studiis vacabat, periculose decumberet, hinc ad Lotharingium Cardinalem contendere statuit, hacque de re Borromæum Cardinalem certiore reddidit. Ergo omni, qua potuit, celeritate iter aggressus eadem, qua Lotharingius Cardinalis, die Patavium venit, tardius tamen, quam ut Nepotem suum adhuc vita superstitem cernere potuisset; hic enim pridie seu die Sabbati jamjam mortalitatem exuerat.

§. XCVII.

(\*) Hæc Continuator depromptit ex Palavicino, qui tamen rem longe aliter refert, ac præcipue circa Synodi translationem de Lotharingio ait, *quod is de ea cum utroque Præside non semel sermonem habuerit.*